



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

20. De quodam statu vrbis Vltraiectinae ante adventum Willibrordi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Nota ex verbis Alcuini supra cognosci S. Willibrordum ad ostia Rheni (Cadwicana intelligo) lemisis velis quieuisse, & exscensione facta cum sodalibus corpora à mari fessa curasse hospitio aliquo exceptum. Vnde ulterius est colligere eo ævo Cadwicanum Rheni tractum fuisse habitatum.

## DISSERTATIO XX.

De quodam statu Urbis Ultraiectinæ ante adventum Willibrordi.

**S**anctum Willibrordum cum socijs superato mari & emenso flumine urbem Traiectensem intrasse iam vidimus. Quantum in ea egerint, quantum hæserint, silentio nimio premitur. Non dubitandum Radbodum caput gentis adijisse, aduentus sui causam exposuisse, licentiam verbi Dei deprædicandi flagitasse, tum priuatim, tum propalàm fidem Christianã proposuisse. Sed præfrictæ frontis Frisonibus cuncta aspernantibus diuergium ab ijs fecerunt, qui eliminatã Catholicã Religionem in Idololatria obstinabant. Superius est relatam Valentinianum Imperatorem Ultraiectum Germanis ereptum Gallia afferuisse, & constat Dagobertum Franciæ & Austriæ Regem ibidem regnasse. Num toto medio tempore inter Valentinianum siue Clodoveum primum Franciæ regem Catholicum, qui decessit anno 514, & Dagobertum qui cœpit regnare anno 632, sub Gallico aut Francico imperio steterit, perparum est à vetustate. Si coniecturæ præsidio agendum, cōiectari potest Frisios post Valentinianum, qui desijt anno 455 & Clodoveum, ante Dagobertum interdum saltem recuperasse. Fundamentum est, quia Sacellum Diui Thomæ (addunt alij & Sancti Martini) fundatum

78 DE PRIMIS VETERIS FRISIAE APOSTOLIS  
tum est à Dagoberto qui vt diximus anno 632 cæpit præ-  
esse & decessit anno 645 nec legitur vllum aliud ibi prius  
esse conditum; imo nullum apparet antea fuisse. Cur  
enim de aliorum destru&ione, ædificatione, restauratio-  
ne nulla esset mentio? cur de alterius fundo, ruinis, nulla  
lis cum Episcopo Coloniensi, in litteris Bonifacij nulla mo-  
tio? confirmatur ex eiusdem litteris:

*Et refert (ait Bonifacius in litteris ad Za-  
chariam Pontificem) quod quia ab antiquo  
Rege Dagoberto Castellum Traiectum cum  
destructa Ecclesia ad Coloniensem Parochiã  
donatum in ea conditione fuisset, vt Episco-  
pus Coloniensis Gentem Frisonum ad fidem  
Christi converteret, & eorum prædicator  
esset, quod & ipse non fecit &c.*

An antea sub tot Catholicis Regibus, sine Episcopo, sine  
Pastore? an vnicum sacellum in ciuitate datum Episcopo,  
si plura fuerint vel ante exstiterint? cur iam prius Episco-  
po committitur Ecclesiæ gentium, cur adeo exilis Chris-  
tianismus, si à Valentiniano aut Clodoueo primo vsque  
ad Dagobertum Ultraiecto continuò sunt potiti. In fidem  
difficuler cadit (si non interpolatè Franci regnarint vsque  
ad Dagobertum) sine Religione, sine templo, sine Pastore,  
oppidum celebre fuisse relictum, quandoquidem Franci  
postquam Christi doctrinam susceperunt, feruentissime in  
quamcumque regni partem eam propagare, instituere, vi  
& armis

& armis inducere: in fidem potius venit Francorum imperio saltem subinde abolito, simul veram Religionem à Clodoueo, siue alijs plantatam, exaruisse. Nec omnino (quaquã apparenter) aduersantur, qui aiunt, Christianum ritum inceperit vigere Traiecti tempore quo Reges Francorum illum recepere, longè antè aduentum S. Wilibrordi, nam ( præterquam quod effatum illud infirmari possit ex iam dictis ) nec addunt, nec inde sequitur, non fuisse per interualla interruptum. Confirmat nostra Leidensis lib. 1. Chronici cap. 19. asserens primam Ecclesiam Christianã Traiecti esse fundatam à Dagoberto Rege Francorum; significans antea nullam ibi vnquam stetit: quod non accidisset, si Franci continuò vrbe fuissent potiti, si non pertinaces Frisij, saltem intermedio tempore, inuasissent.

Hære pauxillum Lector vt vites crassum Anachronismum Lamberti Hortensij narrantis præfatã Ecclesiam Diui Thomæ ædificatam à Dagoberto anno Domini 577. Repugnat omnibus historijs Francorum, siue de primo, siue de secundo Dagoberto sit sermo: nam neuter eo anno regnavit aut natus fuit. Demus per negligentiam Typographorum omissum esse vnum centenarium & signare voluisse anno 677. est quidem mirior error, est tamen error, cum eorundem consensu Dagobertus primus Ecclesiæ Diui Thomæ fundator ante annum 650. corpore exutus fuerit: Dagobertus verò secundus regnum prius inceperit circa annum 716. Consule annales Francicos & conspicietur Syrtis. Similia peccata circa annum Dagoberti odoratus est studiosissimus Heda in proemialibus cap. 5. quo loco plane aperte falsum est Dagobertum obiisse sub Iustiniano Iunior Constantini filio, cū Iustinianus ille omnium testimonijs primò imperiū auspicatus sit post annum 680. Frequētissimè

80 DE PRIMIS VETERIS FRISIAE APOSTOLIS  
tissimè obuius est error calcularius, partim ex Graphiariorum oscitantia, partim ex Scriptorum incuriositate res magis quam tempora proferre amantium, partim quod cæcus cæcum ducat, hoc est quod aliorum ἀμαρτήματα securi sine discussione sequantur. Nō dico nos annos semper certò posse designare destitutos frequentius sufficientibus documentis, verum quantum assequi possumus quam probabilissimè designemus. Sic vereor aliquid humanitùs accidisse Ioanni Leidensi apud quē Dagobertus sacellum S. Thomæ condit anno 648. Malo annum retrofiorum. Nemo alius quantum scio (inspexi autem plurimos & probatissimos) eo usque vitales eius dies prorogat. Imo nec ultra annum 645. Et cur in extremum vitæ punctum distulisset pius Rex, præsertim cum pater Clotarius (modò Hedæ assentiamur) iam possessiones & media tali operi antea disposuisset.

#### DISSERTATIO XXI.

Quando Frisij Ultraiectum occuparint.

**L**oquimur de occupatione quæ fuit vltima ante aduentū S. Willibrordi. Questio obscura & de qua etiam nihil certi à veteribus relictum est. Solum habemus Ecclesiā in honorem S. Thomæ à Dagoberto exstructam non multò post præduræ cervicis Frisones solo tenus destruxisse. Sub Dagoberto Rege Saxonum & Baiororum victore id factum, difficile est creditu: potius sub Sigeberto filio qui Austrasiam potitus est puer trium, vel, secundum Trithemium, septem annorum, sub tutoribus tamen strenuis, Adagifilo Palatij rectore & Cuniberto Episcopo Coloniensi, Pipino Landensi adhuc bellum